

Majestatis vestrae Imperatoriae, et regiae consiliarius etc. supervenissent, cum quibus per varios ultro, citroque tractatus habitos, tandem de certis conditionibus et articulis, ex benigne Majestatis vestrae Caesareae, ac regiae, nobis oblatis et concessis, convenissemus, ac conclusissemus, nos quoque habita primum, et ante omnia, publica regnorum pacis ac tranquillitatis, vitandaque ulteriore christiani sanguinis effusione, postea vero universae domus Austriae, et potissimum Augustalis Majestatis Vestrae Caesareae Regiaeque condigna, condecensissimaque reputatione maluimus, ac decrevimus, seposita in regnum, gloriamque majorem nostri promotione, in favorem Vestrae Majestatis Caesareae Regiaeque obsequenter nos accommodare.

Unde accepta a Majestate Vestra super iis, quibus jam cum praefatis ejusdem dominis dominis legatis conventum est, conditionibus sufficienti assecuratione, primum et ante omnia super eo assecurandum, certificandumque ducimus, quod partes Hungariae inferiores eis et ultradanubianas, quae pro nunc apud manus, et in potestate nostra, vigore superinde initi tractatus, relictæ sunt, usque ad jam constitutarum induciarum terminum, fideliter administrabimus, Status in iisdem partibus omnes, tam ecclesiastici, quam secularis ordinis in eo, quo nunc sunt, statu conservabimus, jus et justitiam iisdem juxta leges regni impendi curabimus, neque ex partibus regni praedictis, earumque confiniis aliquid abalinearimus a corpore, coronaque regni, sub eodem induciarum tempore, animos omnium singulorum in partibus hisce eis et ultradanubianis regni, in rationem utpote Vestrae Caesareae Regiaeque Majestatis cedentibus, nunc quidem alienatos ad obedientiam, et fidelitatem Majestatis Vestrae reducere, omnibus modis studebimus, et incumbemus. Ad haec sedulam etiam, ubicunque opus fuerit, navabimus operam, ut motus in regno Bohemiae, provinciisque eidem incorporatis, nec non ducatu utriusque Austriae vigentes, atque intercidentes, cum Vestra Majestate Caesarea et Regia discordiae, per tractatus salutare penitus sopiantur.

Insuper pacta etiam ac transactiones, cum praedefuncta felicis memoriae imperatoria ac Regia Majestate, Mathia II. diversis vicibus, in civitate Tirnaviensi conclusa, quicumque ex illis publicam regnorum salutem, ad permanentem concernere dignoscerentur, ea omnia et singula in proximis regni Hungariae comitiis, jam in inducialibus litteris certo promulgatis, cum Vestra Majestate Caesarea Regiaeque, causis personarum privatarum, et negotiorum exceptis, et exclusis, tam nos ipsi renovaturos, roboraturos, quam ut etiam status et ordines, uti Hungariae, ita et Transsylvaniae renovent, loborent et confirmet, curaturos spondemus.

Ad quae omnia, et singula, suis viis, et constitutis modis praestanda, effectuandaque nos in verbo Principali, et bona fide mediante, obligamus et obstringimus, obligatosque esse volumus, prout obligamus et obstringimus, harum nostrarum vigore et testimonio litterarum mediante. Datum in libera, ac regia civitate Posoniensi die . . . mensis Januarii anno 1620.